



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Onuphrii Panvinii De Trivmpho Commentarius**

**Panvinio, Onofrio**

**Helmestadi[i], 1676**

Petrus Apianus Et Bartholomaeus Amantius, Epistola ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10300**

PETRVS APIANVS ET BARTHOLO-  
MÆVS AMANTIUS, EPISTOLA  
AD RAIMVNDVM FVGGERVM, IN SCRIB-  
PTIONIBVS VETVSTIS PRÆFIXA.

Edit. Ingol-  
stad. 1534.

Onsiderantibus nobis s̄epe numero, & rerum omnium magnitudinem cogitantibus, nulla major causa videri solet, ad tantam *Populum Romanum* nominis atque imperij gloriam pervenisse, quam ingens quædam & incredibilis actio gratiarum, & beneficiorum admirabilis compensatio adversus omnes, à quibus cunque beneficium vel perexiguum accepisset. Omnibus enim, qui dignitatem P.R. atque imperium tuerentur; qui rempublicam augerent, eamque diligenter administrarent, maxima proponebantur præmia. Quippe qui insignius quicquam domi militiæque gessisset, huic *corona*, huic *statuæ*, huic *ovationes*, huic *triumphi*, huic *ornamenta*, huic milie rerum gestarum *insignia* parabantur. Nam quid arbitramur Romanos tot coronarum genera excogitasse, nisi ut cives suos, qui aliqua virtutis gloria floruisserent, laudum meritis prosequerentur amplissimis, eosque ad res magnas obeundas ardenter excitarent? Quid dicemus tot statuas triumphales, tot amplissima sepulchra, tot clarissimos titulos, tot imagines & monumenta majorum? quid tot celeberrimos gloriofissimos que triumphos? Prudenter hæc omnia. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis & gloriæ; qua quidem detraæta, quid est, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus?

